

# LEGES NOVELLAE

AD THEODOSIANVM

PERTINENTES

EDIDIT

ADIVTORE TH. MOMMSENO

PAVLVS M. MEYER

---

BEROLINI

APVD WEIDMANNOS

MDCCCXV

## CONSPECTVS OPERIS

	pag.
Conspectus subsidiorum et explicatio signorum . . . . .	VI
<b>PROLEGOMENA IN LEGES NOVELLAS AD THEODOSIANVM PERTINENTES</b>	
Cap. I. De singulis legum novellarum syllogis . . . . .	XI
Cap. II. Codices corporis Maioriani (primae syllogae) . . . . .	XXV
Cap. III. Codices Breviarii (alterius syllogae) . . . . .	XXXI
Cap. IV. Codices tertiae syllogae . . . . .	XLIII
Cap. V. <b>Excerpta. Breviarii epitomae. Varia</b> . . . . .	LV
I. Ex syllogis Orientalibus excerpta . . . . .	
II. Ex syllogis Occidentalibus excerpta . . . . .	
III. Breviarii Alariciani epitomae . . . . .	LXI
IV. Breviarii minora . . . . .	LXIII
V. Libri latentes vel deperditi . . . . .	
Cap. VI. Legum novellarum editiones et apparatus . . . . .	LXV
Cap. VII. Crisis legum novellarum . . . . .	LXXVII
A. Leges novellae Theodosii II. Valentini III. Maioriani (1—6) . . . . .	
B. Leges novellae Marciani et reliqua per Alaricianos solos servata . . . . .	LXXXIX
C. Leges novellae Anthemii . . . . .	XC
Cap. VIII. Constitutionum acceptores et tempora locique . . . . .	XCI
I. Constitutionum acceptores . . . . .	
II. Constitutionum tempora et loci . . . . .	XCVI
—————	
I. CORPVS LEGVM NOVELLARVM <i>THEODOSII II. VALENTINIANI III. MAIORIANI</i> IN OCCIDENTE A MAIORIANO CONDITVM . . . . .	1
II. LEGVM NOVELLARVM <i>MARCIANI</i> IN ORIENTE PROMVLGATARVM QVAE IN BREVIARIVM ALARICIANVM RECEPTAE SVNT	179
III. AVCTARIVM LEGES NOVELLAS EXTRAVAGANTES CONTINENS <i>SEVERI ET ANTHEMII</i> . . . . .	197
—————	
Index titulorum . . . . .	209
Corrigenda et Addenda ad vol. I et II . . . . .	213

CAPVT TERTIVM.  
 CODICES BREVIARII (ALTERIVS LEGVM  
 NOVELLARVM SYLLOGAE).

Capite hoc eos tantum codices tractabo, qui a Breviarii primitivi neque aucti archetypo pendent. Et duas quidem familias habemus, in quas Breviarii libri Novellas complectentes discedunt; meliorem repraesentant integri *HNEKLΦ*, deteriore libri item integri *GXCPSM*. Sed utriusque familiae fines propter contaminationes aliasque causas, ut in Theodosiano, saepenumero perturbari infra in capite septimo, ubi de crisi Novellarum agetur, videbimus. Hoc autem discrimen intercedit inter Theodosianum et Novellas nostras, quod harum textum recensenti decurtati qui dicuntur haud ita parvam utilitatem praebent. Nam ut eas novellas praetermittam, quibus tertiae syllogae libri *ΦΘΩΞΞ* Vaticanus reg. 1050 et Fuldensis codex epitomatus proximo capite tractandi Breviarium augent (de quibus conferendus laterculus in capite primo p. XIX sqq. propositus), etiam Breviarii ipsius decurtati nonnullarum constitutionum textum integrum exhibent. In multis porro subscriptionibus restituendis, ubi libri integri deficiunt, decurtatis magnopere adjuvamus, ut in capite septimo explicabitur. — In omnibus fere libris decurtatis reperiuntur quae interpretatione carent novellae Valent. 1, 3 — 18 — 23 — 27, sive plenae sive imperfectae. Praeterea Parisinus 4409 (saec. X) constitutiones servat Theod. 1—2, Parisinus 4410 (saec. IX/X) Theod. 1—2 — Maiorian. 11, Parisini 4414 (saec. X). 4415 (saec. IX) Maiorian. 11, Parisinus 4411 (saec. IX) Valent. 35 — Maiorian. 11 — Sev. 1, Parisinus 9653 (saec. IX) Theod. 11 — Marcian. 1 — Maiorian. 11.

Priusquam nunc ad Breviarii codices describendos aggrediamur, librorum et integrorum et decurtatorum laterculum secundum diversarum classium ordinem dispositum subiciamus, quem disputatio mea sequetur:

- I. integri *Eporediensis bibliothecae capituli codex 35*, nobis *E* (saec. IX exeuntis)  
*Rosambinus codex* + *Parisini 4408 folia 1—56*, nobis \**E*;  
 decurtati *Parisini 4414* (saec. X). *4415* (saec. IX)  
*Parisinus 4409* (saec. X), *Vaticanus reg. 1048* (saec. IX exeuntis), *Bernensis 263* (saec. IX).
  - II. integri *Parisinus nouv. acq. lat. 1631*, nobis *K* (saec. X)  
*Parisinus 4403*, nobis *L* (saec. VIII/IX).
  - III. integer *Parisinus 4403 A*, nobis *Φ* (saec. IX).
  - IV. integer *Parisinus 4404*, nobis *N* (saec. IX);  
 decurtati *Parisinus 4410* (saec. IX/X), *Berolinensis Savignianus 1* (saec. X).
  - V. integer *Legionensis*, nobis *H* (inter a. 546 et 660).
- 
- VI. integer *Gothanus fol. 84*, nobis *G* (saec. X).
  - VII. integri *Eporediensis bibl. capituli codex 36*, nobis *X* (saec. IX/X)  
*Basileensis C III 1*, nobis *C* (saec. XVI ineuntis).

- VIII. integri *Phillipsianus Berolinensis 1761*, nobis *P* (saec. VI)  
*Monacensis 22601*, nobis *M* (saec. VI)  
*Vaticanus Ottobonianus 2226* (saec. IX).  
 IX. integer *Parisinus 4405*, nobis *S* (saec. IX exeuntis), cum apographo  
*Parisinis 16001/2* (saec. XVI).  
 X. integer *Vaticanus reg. 1128* (saec. X).

Ex libris in laterculo allatis omnes contuli praeter integros Ottobonianum 2226 ad classem *PM* pertinentem et Parisinos 16001/2 codicis *S* apographum, quos inspexi, decurtatum Berolinensem Savignianum 1, quem multo inferiorem esse perspexi quam eiusdem classis decurtatum Parisinum 4410. Praeterea in apparatu neglexi libros collatos integrum Vaticanum reg. 1128 deteriori familiae attribuendum, decurtatos Bernensem 263 et Vaticanum reginae 1048 concordantes cum Parisino 4409.

Breviarii codices ad Novellas pertinentes cum eidem sint atque Theodosianum complectentes, qui in voluminis primi Prolegomenis a Mommseno descripti sunt, hoc volumine nostra tantum interest enarrare, quae sint cuiusque libri in Novellarum parte notandae singularitates. Sed facere non potero, quin hic illic in nonnullorum codicum historiam inquiram. — Ex libris integris in volumine primo recensitis sprevi Lugdunensem 303 (Mommseno *Q* = Haenel, nov. const. 17), Montispessulanus 84 (= Haenel 18; Mommsen, Theod. I p. LXXXI) et 136 (= Haenel 24; Mommsen p. XCVI), Rosanbinum (vide infra p. XXXIII), quippe qui praesto mihi non essent.

## I.

Omnes, quos huic classi supra attribui, libri decurtati originem trahunt ex dioecesi Aurelianensi. Hanc originem manifeste declarant *Vaticanus reg. 1048* et *Parisini 4415*, qui gemellus est *Parisini 4414*, archetypum (vide p. XXXIV); ex eodem atque Vaticanum archetypo descripti sunt *Parisinus 4409* et *Bernensis 263*. Aurelianensis praeterea originis est codex hodie *Parisinus lat. nouv. acq. 1631* (nobis *K*), quem correctum esse ex codice ad Parisinum 4409 proxime accedente infra (p. XXXVI) videbimus. Observatione dignum est, quod auctor Summae Parisinae ad Decretum Gratiani Parisiis saec. XII scriptae Breviarii codices sibi notos non commemorat nisi Aurelianis et Parisiis adservatos (cf. Conrat, *Quellen und Litteratur* p. 79; Mommsen, *Theod. I* p. LXXVIII; de Wretschko, *ibidem* p. CCCXLIX). His enim verbis post alia utitur: 'Sed cum Theodosianus codex' (intellegitur Breviarium) 'non sit in Lombardia, est tamen Aurelianis et apud sanctum Dionysium' (scilicet in S. Dionysii prope Parisios monasterio). Unde iniuria saec. XII in Lombardia bibliothecis Breviarii codices omnino defuisse colligas. Quamquam libros duos in bibliotheca capitulari Eporediensi sub numeris 85 et 86 adhuc adservatos, nostros *E* huius classis codicem primum et *X*, Eporediae vel omnino in Italia conscriptos aut descriptos esse credi non potest. Huic rei etiam obstat, quod *X* neque minus gemellus eius, Murbacensis deperditus, novellae Valent. 19 constitutionem subiungunt ex lege R. Burgundionum depromptam et in Francorum usum a Theuderico rege Francorum (III. vel IV.) mutatam (vide infra p. XL). Gallicae igitur originis liber *X* esse videtur indidemque proficisci codicem *E* verisimile fit. Quando autem et quomodo Eporediam venerint, diiudicare non possumus. In dubio igitur relinquamus, libri laudati Eporediae num fuerint Warmundi (= Veremundi) praesulis aetate, qui initio saec. XI. litteris studiisque Eporediensibus favebat, ut multi codices in suo scripti (e. c. n. 20. 28. 85. 86 alii) docent.

*E* *Eporediensis bibliothecae capituli codex 35* saec. IX exeunte scriptus (Haenel, Brev. 16 = const. Sirmond. p. 412 not. 13; Mommsen, Theod. I p. LXVII. CXXXIV sq.) hodie folia 251 continet, quorum unum inter 158 et 159 non numeratur; pagina habet versus 32. Post Theodosiani subscriptionem sequuntur f. 134—136<sup>r</sup> constitutiones Sirmondianae 1—3, quarum tertiae inserta habetur novellae Theod. 3 particula (24 *obtentu* . . . 70 *religionis*) ex archetypo descripta. Novellis, quae continentur f. 137—182<sup>r</sup>, praescribitur: *Incip legu novellaru lib: I* (f. 150<sup>v</sup> legitur: *Incip divi valentiniani liber II*, cet.), subscribitur: *Expl.*

*novellarum feliciter.* Constitutiones codex exhibet plenas, nisi quod Theod. 22 duae leges ita in unam contrahuntur, ut primae deficienti 89 *curiales* continuo adiciatur alterius interpretatio inde a 147 *testamentum*; praeterea nov. Maioriani 7 textus ultima pars (inde a 68 *sequatur*) omittitur. — Qui codicem descripsit librarius, diligenter plerumque et accurate operam perfecit; orthographia ab aliis eiusdem aetatis libris non multum differt. — Ad legum novellarum textum recensendum codex *E* inter Breviarii libros hac re plurimum valet, quod ex archetypo, qui proxime aberat a libro *I*, pariter atque libri *SKL* emendatus veram saepenumero lectionem praebet. Hac de re in capite septimo, ubi de crisi Novellarum agetur, accuratius disserendum erit. Sed praeter huiusmodi lectiones, quae optimum archetypum produnt, gravissimae occurrunt interpolationes libro nostro aut cum suae classis decurtatis communes (ut Valent. 27, 62 — 35 rubr. — 35, 185) aut cum *L* (Theod. 1, 22), *S Vaticano reg. 1128* (Valent. 31, 4). Accedunt dittographiae in textum receptae, quae duas recensiones prae se ferunt; pleraeque libro *E* soli (una cum *\*E*) propriae sunt, paucae tantum etiam in *S* (Valent. 32, 2) aut *KL* (Marcian. 3, 23) reperiuntur. Raro utraque lectio aliis libris nobis notis confirmatur, e. c.

Theod. 3, 68/69 peccatur (vel similiter) reliqui, spectatur *ON*, peccator expectatur *E*  
 — 22, 1, 34 desideret] *plerique*, demonstrat *GPM*, demonstrat desideret *E*  
 Valent. 31, 65 contempnant] *reliqui*, contineant *S*, contempnant contineant *E*  
 — 32, 2 recenti] *IL*, praesenti *plerique*, praesenti recenti (-tique *S*) *ES*.

Corruptelarum numerus haud ita parvus est (ut Theod. 1, 20 — 1, 26 — 1, 39 — 3, 4 — Valent. 14, 21 — Marcian. 2, 25 — 4, 51).

Librarius ipse alteri lectioni erasae (*E<sup>a</sup>*) alteram hic illic superscribit (*E<sup>b</sup>*), qua textus vel emendatur vel corrumpitur. Praeterea variis eiusdem aetatis manibus librarii textus (*E<sup>c</sup>*) corrigitur (*E<sup>d</sup>*). In margine passim emendationes variaeque lectiones adduntur scriptura diversa (*E<sup>v</sup>*), sed eiusdem cum textu (*E<sup>b</sup>*) aetatis, quae, ut dittographiae modo laudatae, alterius recensiois copiam praebent; exempla sunt Theod. 1, 7 (*E<sup>v</sup> cum GL*) — 1, 9 — 3, 58 — 15, 10 — Valent. 35, 118 (*E<sup>v</sup> cum KL*) — Maiorian. 7, 66 — 7, 155 cet. — De Cuiacianae prioris a. 1566 editionis lectionibus ad librum *E* proxime accedentibus in capite sexto disseretur. — Contuli codicem *E* Eporediae aestate a. 1901.

*Romy Le Peletier-Rosanbo marchionis codex (Rosanbinus) et Parisini lat. 4406 pars \*E* prior f. 1—56 (Haenel, nov. const. 7 = Brev. 17. 17a), de quibus Mommsen in volumine primo p. LXVIII sq. egit, unius codicis olim Vesontini partes sunt. *Rosanbinus*, quem non vidi, maiorem Novellarum partem f. 81—118 continet inde a Theod. 3, 36 *puniendum* usque ad Maiorian. 7, 47 *fortasse defuerint*, ubi Novellae deficiunt. — *Parisinus 4406*, qui diversorum codicum lacinias a Petro Pithoeo in unum volumen congestas complectitur, ex manibus eius in bibliothecam Colbertinam translatus numeroque 1761 signatus est, tum in Regiam Bibliothecam venit et numerum accepit 5159. Ex quinque codicis partibus (cf. Haenel, *Brev.* p. LII sq. LXVIII sq.) prima (f. 1—56) et tertia (f. 60—67) ad editionem nostram pertinent. De foliis 60—67 ex Parisino 9652 (nobis  $\Omega$ ) avulsis, quippe quibus novellae extra Breviarium positae habeantur, in capite quarto agam. In parte prima non continentur nisi novellae Theod. 1 — 2 — 3 usque ad v. 36 *dispendio fortunarum capite* (f. 46<sup>r</sup>—48<sup>v</sup>); praeterea f. 45<sup>v</sup> constitutioni Sirmondianae 3 eadem atque in *E* novellae Theod. 3 verba (24 *obtentu* . . . 70 *religionis*) inseruntur. Sed quamvis parvae sint hae Novellarum particulae, tamen librum *\*E* et in hac parte proxime abesse a codice *E* satis perspicitur. Neque enim solum utriusque libri ordo, orthographia et compendia concordant, verum etiam lectiones singulares, emendationes, corruptelae libri *E* in textu codicis *\*E* redeunt; ubi duae lectiones in Eporediensi habentur, altera in textu, altera in margine, utraque in Parisini textum recipitur. Optime igitur etiam Novellis Mommseni sententia confirmatur, qui librum nostrum descriptum esse ex *E* arbitretur. Nam cum parvi momenti differentiae, quae inter utrumque codicem intercedunt, codicis *\*E* librario sine dubio tribuendae sint, non habemus, cur de altero archetypo cogitemus. — In apparatu varias lectiones codicis Parisiis a. 1901 collati plerumque neglexi.

*Parisinus 4414* saec. X variis manibus scriptus (Haenel, nov. const. 32 = Brev. 32; *Paris. 4414* Mommsen, Theod. I p. XCVIII), olim codex Bigotianus vel Memmianus 98, tum Regius 4980,

ex foliis 165 constat. Fol. 1<sup>v</sup>—15<sup>r</sup> continetur index titularum Breviarii cum explanatione; f. 15<sup>v</sup> et 16<sup>r</sup> vacant litteris; f. 16<sup>v</sup>—147<sup>v</sup> v. 20 inest Breviarium decurtatum. Novellae incipiunt f. 102<sup>v</sup>, sed foliorum ordine a bibliopega turbato inde a nov. Theod. 2 inscriptione pergunt f. 56<sup>r</sup>—72<sup>r</sup>.

*Parisin. 4415* *Parisinus 4415* saec. IX scriptus (Haenel, nov. const. 33 = Brev. 83; Mommsen, Theod. I p. XCIX), olim Colbertinus 2459, tum Regius 4701, constat ex foliis 118; pagina bipertita est. Duae manus discernuntur; alteri folia 1—80, alteri f. 81—118 tribuenda. Breviarium continetur f. 1—110<sup>v</sup>, Novellae habentur f. 47<sup>r</sup> col. b—64<sup>v</sup> col. b. Ex verbis Breviario f. 110<sup>v</sup> subscriptis nostrum descriptum esse apparet ex exemplari scripto in mense decē anno XV regnante Karlo (sic) rege, scilicet a. 782 extremo, a Radulfo clerico . . . in atrio scō aniano (sic). Est hoc sine dubio monasterium S. Aniani<sup>1)</sup>, quod hodie appellatur Saint-Aignan, in dioecesi Aurelianensi (cf. *Gallia Christiana* VIII, 1744, col. 1518 sqq.). Archetypum hoc decurtatum iam fuisse non credo, id quod convenit cum Mommseni sententia (*Theod. I* p. CXV), qui decurtatorum genus ab anno 788 proficisci opinabatur.

*Parisini 4414. 4415* Libri in gravioribus vix discrepant; in utroque textus integer extat constitutionum Valent. 1, 3 — 23 — 27 — Maiorian. 11, praeterea nov. Valent. 18 pr. (finit 11 *polluuntur*); reliquae novellae omissa textu inscriptiones subscriptiones interpretationes servant (in Parisino 4415 deficiunt nov. Theod. 2 interpr., 3 inscr. et subscr.). Subscriptiones plenae plerumque adsunt, hic illic pleniores quam in reliquis libris: sic Valent. 1, 3 (una cum *E'SL*) — 27 (in nostris solis). Proxime accedere nostros ad librum *E* permulti loci docent (ut Valent. 1, 3 subscr. — 23, 22 — 27, 37 — 27, 62 cet.). Alterutrum librum, fortasse Parisinum 4414, adhibuit Franciscus Pithoeus in apparatu exemplaris Cuiacianae editionis Paris. Réserve F<sup>2</sup>. — Contuli Parisiis a. 1901 utriusque codicis inscriptiones atque subscriptiones omnes, textum nov. Valent. 1, 3 — 18 — 23, passim nov. Valent. 27 et Maiorian. 11; in apparatus selectas tantum lectiones recepi.

*Parisin. 4409* *Parisinus 4409* (Haenel, nov. const. 28 = Brev. 38; Mommsen, Theod. I p. XCVII sq.) saec. X diversorum manibus scriptus est. Codex regis Caroli IX (1560—1574) sigillo ornatus et numeris MXCVII (Rigault), 1197 (Dupuy), 5184 signatus ex foliis 183 constat. F. 1—124 conveniunt cum libris Vaticano reg. 1048 et Bernensi 263; f. 124—183 propria habent in capite quinto tractanda. Index titularum Breviarii incipit f. 10<sup>v</sup>, Breviarium decurtatum continetur f. 17<sup>r</sup>—120<sup>r</sup>, Novellae insunt f. 65<sup>r</sup>—82<sup>v</sup>. — Libro usus est P. Pithoeus filius: qui in Sichardianae exemplari suo, hodie Paris. Réserve F 380, rubricam f. 17<sup>r</sup> Breviario praescriptam ad verbum sub nota 'vet.' repetivit (*ret. Incipit Lex Romana. In hoc cōtinentur* cet.), nonnullas praeterea lectiones nostro soli proprias in margine adscripsit. — Varias lectiones et in textu et ad marginem libri *K* a librario ipso adscriptas ex codice aliquo decurtato depromptas esse prope accedente ad Parisinum 4409 infra (p. XXXVI) demonstrabitur.

*Vatic. reg. 1048* *Vaticanus reginae 1048* (Haenel, nov. const. 34 = Brev. 39; Mommsen, Theod. I p. XCVII. C) saec. IX exeunte Aurelianis vel in regione Aurelianensi scriptus est, ut ex verbis his ad marginem f. 205<sup>r</sup> a librario ipso adscriptis apparet: *Domino sanctissimo atq; sanctissimo Gualtrio ep̄orum eximio humilis congregatio salutem in dño.* Gualtrius (= Walterius) a. 870—891 Aurelianensis ecclesiae episcopus fuit (cf. *Gallia Christiana* VIII col. 1428; *Migne. Patrologia* 119; Mansi 15, 503; *Werminghoff, Neues Archiv* 26, 643). In superiore margine eiusdem folii 205<sup>r</sup> legitur: *Robertus comes duxque manasseos.* Ad posterius tempus spectant verba fere deleta, quae in margine inferiore folii, quod codici ipsi praefixum est, inveniuntur sic legenda: *iste liber est communitatis fr̄m. franciscan. in m̄n̄ sci (?) . . .* ultimum verbum legere nequivi). Aurelianos quoque ducit nomen *Petri Danielis Aurelianus* advocati et praefecti abbatiae S. Benedicti Floriacensis eidem folio inscriptum, cuius bibliothecam ex monasteriis Aurelianensibus vel in dioecesi Aurelianensi positam comparatam esse constat (cf. Haenel, *Catalogi Librorum Manuscriptorum*, Lipsiae 1830, p. 287 sqq.; *Cabinet des Manuscrits*, 1868 sqq., I p. 287 sq. II p. 364 sqq.; *Catalogue général*

<sup>1)</sup> Distinguitur, quae folio 34<sup>v</sup> codicis Vaticani reg. 982 (antea A. Petavii) continetur, *Donatio Roberti ad fratres S. Aniani.*

*des Manuscrits. Départements XII*, 1889, p. III sqq.)<sup>1)</sup>. Post Danielis mortem codex in Petaviorum manus venit; ad Pauli Petavii bibliothecam fortasse spectat numerus *H 85* folio 1<sup>r</sup> inscriptus (cf. quae Delisle *l. l.* I p. 287 not. 9 exposuit). Deinde a Christina regina acquisitus a. demum 1690 in Vaticanam translatus est (vide laterculum p. XXVI propositum). — Liber constat ex foliis 228 eadem complectentibus atque Parisini 4409 folia 1—124. Index titulorum Breviarii incipit f. 21<sup>v</sup>, Breviarium decurtatum continetur f. 36<sup>v</sup>—224<sup>r</sup>, Novellae insunt foliis 124<sup>r</sup>—147<sup>v</sup>.

*Bernensis 263* (Haenel, nov. const. 37 = Brev. 40; Mommsen, Theod. I p. XCV. XCVII) saec. IX scriptus, Sichardi et Amerbachii temporibus Argentoratensis, quando Argentoratum venerit, diiudicari non potest. Sed verisimile mihi videtur tumultibus a circiter 1592 ortis inter evangelicae et catholicae fidei addictos nostrum cum aliis libris Argentoratensibus a Iacobo Bongarsio Aurelianensi (1554—1612) comparatum Bernam postea translatum esse (cf. I. R. Sinner, *Catalogus codicum mss. bibliothecae Bernensis*, 1760, p. VII; Hagen, *Catalogus codicum Bernensium [Bibliothecae Bongarsianae]*, Bernae 1875, p. XIV—XX). Constat ex foliis 165; Breviarium decurtatum continetur f. 14<sup>v</sup>—161<sup>r</sup>, Novellae incipiunt f. 56<sup>r</sup>. Ex nostro descripta sunt codicis Basileensis C III 1 folia s—3, x—v et 189. 190 (vide infra p. XXXIX); librum adhibuit Sichardus.

*Bernensis 263*

Libri tres supra descripti vix variant. Novellis praescribitur: *In nomine dñi nri IHV XPI incipit novellarum lib I* (vel *primus*), subscribitur: *expc̄ legum novell̄ felic̄i am̄*. Omnes textum integrum exhibent constitutionum Valent. 1, 3 — 23 — 27, novellae Valent. 18 verba servant inde a 12 *tua hac nos*, sed omisiss subscriptione et interpretatione (in Vat. reg. 1048 etiam inscriptio deest); praeterea principium habent novellarum Theod. 1 (def. 4 *pallore*) — 2 (def. 3/4 *promulgavit*) — 9 (def. 3 *committere*). Reliquarum novellarum fere omnium inscriptiones subscriptiones interpretationes extant, exceptis Theod. 22, 2, quae tota excidit, Valent. 35, ubi subscriptio deest. (In Parisino 4409 Theod. 15 interpretatio, 16 rubrica inscriptio interpretatio alia eiusdem aetatis manu adduntur in margine.) — Neque in minoribus libri discrepant, ita ut eisdem utantur compendiis vel corruptis. Quaedam singularitates communes eis sunt cum libro *E* et decurtatis Parisinis 4414. 4415 (cf. Theod. 16, 103 — Valent. 27, 62 — 35 rubr. — 35, 185 — Marcian. 1 rubr.). Concordant porro glossae in libris duobus Parisino 4409 et Vaticano reg. 1048 a librariis ipsis ex communi archetypo ad marginem adscriptae, quarum graviore Haenelius edidit (*Brev.* p. 459 sqq. et XXIV; vide etiam Conrat, *Quellen* p. 251). — *Parisinus 4409* a librariis diligentioribus et accuratioribus scriptus Vaticano 1048 et Bernensi 263 hac potissimum re praestat, quod f. 65<sup>v</sup>—67<sup>r</sup> post nov. Theod. 2 inscriptionem inveniuntur novellarum Theod. 1 textus plenus cum subscriptione et Theod. 2 rubrica inscriptio textus plenus ex alio archetypo deprompti. Primae enim novellae Theod. textus, qui proxime abest a Theodosiani libris *AO*, optimas plerumque lectiones exhibet, ut in capite septimo explicabitur.

*Paris. 4409*  
*Vat. reg. 1048*  
*Bern. 263*

Contuli totos Parisinum 4409 Parisiis a. 1901, Vaticanum reg. 1048 Romae eodem anno, Bernensem 263 Berolinum a. 1900 missum usque ad nov. Valent. 31. In apparatus exceptis paucis locis non recepi nisi Parisini 4409 lectiones selectas.

## II.

*Parisinus Lat. Nouv. Acq. 1631*, antea bibliothecae publicae Aurelianensis n. 207 *K* (Haenel, nov. const. 16 = Brev. 13; Catalogue général des Manuscrits, Départements XII p. 121; Mommsen, Theod. I p. LXXVIII sq.) saec. X variis manibus Aurelianis ipsis vel in regione Aurelianensi scriptus est, unde plerosque praecedentis classis libros originem ducere vidimus. Quare nostrum ipsum ab auctore Summae Parisinae ad Decretum Gratiani scriptae significari, ut Mommseno (*Theod. I* p. LXXVIII; vide supra p. XXXII) videbatur,

<sup>1)</sup> Mommsen librum Ranconeti fuisse statuit (*Theod. I* p. LXXVI not. 1); hoc quamquam pro certo probatum esse non videtur, tamen eis, quae supra exposui, non obstat. Nam codicem post Ranconeti mortem (a. 1559) in Danielis manus venisse veri absimile non est. Ita Vaticani reg. 520 folio 121<sup>r</sup> inscripta est nota: *Ex libb. Petri Danielis Aurel. 1560*, unde hoc ipso anno folia haec acquisita ab eo esse discimur. De altero libro a. 1560 a Daniele acquisito, scilicet Leidensi Vossiano F 12, Girardus certiore me fecit.

verisimile non est. — Codex constat ex foliis 173. Novellae, quas ex archetypo iam mutilo descriptas habet, continentur f. 27—34, 38—49<sup>r</sup>; Theodosianae incipiunt f. 27<sup>r</sup> a nov. Theod. 14, 56 *non venientibus*, pergunt f. 29—34; folium 34 excipit folium 28 deficiens in pagina versa nov. Theod. 22, 2, 129 *lucrum*; reliqua huius paginae pars inde a v. 10 vacat litteris. Folia 35—37 ex Theodosiano transposita ad Novellas non pertinent: f. 35 leguntur Theod. 11, 37, 1 interpretatio inde a *sine dubio* usque ad 11, 39, 10 interpr. *professionis immemores*, f. 36/37 habentur Theod. 4, 8, 6 (p. 182, 10) *emptionis* usque ad 4, 13, 1 interpr. *merces deportant*, id quod Girardo debeo. F. 38 incipit a nov. Valent. 35, 87 *et eodem*; sequuntur novellae Marciani 1—5 (f. 40<sup>r</sup>—45<sup>r</sup>), Maioriani 7 et 11 (f. 45<sup>r</sup>—48<sup>r</sup>), Severi 1. Novellis f. 49<sup>r</sup> subscribitur: *Explicit ex novella leg. lib. V.* — Librarii codicem neglegenter descripserunt; emendationes, quae parvi tantum momenti sunt, ad eos ipsos redeunt (*K*<sup>6</sup>). Qui f. 38—49<sup>r</sup> scripsit librarius, saepius et in textu (*K*<sup>6</sup>) et ad marginem (*K*<sup>9</sup>) interpretationum varias lectiones adiecit ex libro decurtato depromptas, qui proxime accedit ad *Parisinum 4409*; eiusmodi exempla in apparatu notavi ad Valent. 35, 138 — 35, 140 — 35, 171 — 35, 186 — Maiorian. 7, 128 — Sev. 1, 25, alios locos.

*L* *Parisinus 4403* saec. VIII exeuntis vel IX incipientis (Haenel, nov. const. 13 = Brev. 12; Mommsen, Theod. I p. LXXVII sq.), numeris CCLXVIII (Rigault), 1165 (Dupuy), 5182 signatus hodie ex foliis 209 constat, quorum duo bis numerantur. — Theodosiano (f. 123<sup>r</sup>) subscribitur: *explicit theodmi lib. XVI feliciter. Incipiunt tituli ex auctoritate novelle legis divi theodosiani*; sequitur index titulorum Novellarum, Gai, Pauli, Gregoriani, Hermogeniani, Appendicum. Novellae ipsae continentur f. 125<sup>r</sup>—160<sup>v</sup>; transposita sunt folia 137 et 138. Theodosianis inscribitur: *Incipit lib. novelle legis divi theod. a*; in fine Novellarum legitur: *explicit lib. novelle legis V.* — Orthographia barbarismis abundat; compendiorum solita forma, ut in *K*, plerumque retinetur. Emendationes non reperiuntur. — Codex inter libros integros et decurtatos medius, similiter atque *Φ*, prima breviationis vestigia exhibet; prorsus enim deficiunt novellarum Theod. 3 — 9 — 22, 1 et 2 verba, pars tantum extat nov. Theod. 2 (def. 7 *obtinere*) — 15, 1 (def. 4/5 *committi*) — Maiorian. 7 (def. 44 *obsequantur*). Inscriptiones omittuntur Theod. 9 et 22, 1; subscriptiones semper brevitate sunt, saepius vocabulum *dat.* tantum servatur.

*KL* Libri *KL*, quamquam forma et rebus quas continent valde differunt, tamen, ubi uterque extat, raro dissentiunt. Saepenumero easdem atque libri *ES*(*Φ*) lectiones proponunt a reliquis Breviarii codicibus alienas et verum una cum *Γ* exhibentes, ut in capite septimo demonstrabitur. Contra propriae iis sunt contaminationes, quae, similiter atque in libro *E* per duplicem lectionem duas recensiones repraesentantes, in Marcianis et Maiorianis solis occurrunt. Huiusmodi loci gravissimi Marcian. 1, 33 — 5, 10 — 5, 12 — Maiorian. 7, 4, quibus nostri et melioris et deterioris familiae lectiones exhibent, in capite septimo tractabuntur; commemoratione digni praeterea sunt Marcian. 1, 10 — 1, 41 — 2, 25 — 3, 23 — 5, 36 — 5, 47. — Ubi *K* et *L* dissentiunt, hic semper illi praestat, exceptis paucis locis, ubi *K*<sup>6</sup>*K*<sup>9</sup> communem utriusque codicis lectionem emendant vel omissa addunt (ut Valent. 35, 121/122 — 35, 164 — Marcian. 1, 77 — Maiorian. 7, 139). — Contuli librum *K* Berolinum missum a. 1900 totum, tum Parisiis a. 1901 codicis *L* novellas in *K* deficientes omnes; novellarum Marciani, Maioriani, Severi singulares tantum lectiones in *L* examinavi, novellas, denique Theod. 14 — 16 — 20 — 22, 1 — 22, 2 neque minus indicem mea causa intercedente Girardo contulit Henricus Lebègue Parisinus.

### III.

*Φ* *Parisinus 4403 A* saec. IX (Haenel, nov. const. 25 = Brev. 26; Mommsen, Theod. I p. XCVII), olim Claudii Puteani, cuius nomen folio 1<sup>r</sup> inscribitur, tum Regius 5185 et 4407, constat ex foliis 213. Breviarium continetur f. 29—213: index complectitur folia 29—35<sup>v</sup>, Theodosianus f. 35<sup>v</sup>—115<sup>r</sup>, Novellae f. 115<sup>r</sup>—160<sup>v</sup> habentur. In fine Theodosiani legitur: *Legum veterum explicit liber XVI*, novellis Theodosianis praescribitur: *Incip. novellarum theodosi liber I*, Novellis subscribitur: *Lib. severi expl.* — Singulare inter libros nostros locum obtinet: qui eum descripsit librarius, similiter atque Willelmus Malmes-



buriensis in conscribendo Oxoniensi (nobis *O*), archetypum hic illic breviavit. Ita Marcian. 4 verbis 45 *libertam* . . . 48 *praefuit* ab imperatore ex vv. 17—19 repetitis substituit *vel quae supra iam sunt designatae personae*. Eodem pertinet, quod subscriptiones omnes (ut in *L*), excepta nov. Theod. 2, omittuntur, quod constitutionum octo Theod. 9 — 14 — 15 — 22, 1 — 22, 2 — Valent. 14 — 35 — Sev. 1 verba integra deficiunt, ex parte tantum servantur Theod. 13 (def. 21 *edictis*) — Valent. 32 (def. 67 *conflictum*). Ubi textus vel plenus vel imperfectus extat, interpretationes desunt; nov. Valent. 19 sola et textum et interpretationem exhibet. — Librum in Novellis recensendis nequaquam contemnendum praeter ceteros codices adhibuit Franciscus Pithoeus, qui varias lectiones ex eo depromptas in Cuiacianae editionis prioris exemplari suo, hodie Parisinae bibliothecae Réserve F<sup>2</sup>, adscripsit. Post Fr. Pithoeum, ad quem verba codici inscripta '*1585 contuli*' fortasse pertinent, 'Anianum Puteani' inspexit Gothofredus; ipse eum contuli Parisiis a. 1901.

#### IV.

*Parisinus 4404* saec. IX (Haenel, nov. const. 14 = Brev. 4; Mommsen, Theod. I *N* p. LXXI sq.) e Gallia Narbonensi in bibliothecam Colbertinam a. 1682 delatus, ubi numerum accepit 2436 (cf. Montfaucon. II p. 960 A), tum Regius 4890 (cf. Montfaucon. II p. 753 B), ex foliis 234 constat; pagina bipertita est. Breviarium continetur f. 2<sup>v</sup>—178<sup>v</sup>, index titulorum inest f. 4<sup>r</sup>—14<sup>r</sup>, Theodosianus f. 14<sup>v</sup>—103<sup>v</sup>. Novellae, quae folia 108<sup>v</sup>—134<sup>r</sup> complectuntur, mutilae sunt. Nam quaternionem XV finientem in nov. Theod. 16, 9 *idem*, excisis quaternionibus duobus, excipit (f. 116) quat. XVIII incipiens a nov. Valent. 27, 52 *eadem manebit*; reliquae Breviarii novellae adsunt plene. — Librum contuli Parisiis a. 1901.

*Parisinus 4410* saec. IX/X (Haenel, nov. const. 29 = Brev. 30; Mommsen, Theod. I *Parisin. 4410* p. XCVIII), numeris DXXIX (Rigault) — 565 (Dupuy) — 5159 signatus, ex foliis 155 constat, quae diversorum librorum lacinias repraesentant; folium unum avulsum hodie Parisini 4406 f. 68 factum est. Novellae continentur f. 75<sup>r</sup>—94<sup>v</sup>; verba ipsa servantur constitutionum Theod. 1 — 2 — Valent. 1, 3 — 18 — 23 — 27 — Maiorian. 11; reliquae novellae omisso textu non exhibent nisi inscriptiones, subscriptiones, interpretationes. — Librum contuli Parisiis a. 1901.

*Berolinensis Savignianus 1* saec. X (Haenel, nov. const. 38 = Brev. 34; Mommsen, *Savign.* Theod. I p. XCVI: *N*\*) hodie constat ex foliis 149. Breviarium initio mutilum continetur f. 1—147; Novellae incipiunt f. 74<sup>r</sup>, finiunt f. 89<sup>r</sup>; integrae servantur constitutiones Valent. 1, 3 — 18 — 23 — 27; reliquarum extant inscriptiones, subscriptiones, interpretationes. — Contuli novellas modo laudatas, examinaui inscriptiones subscriptionesque omnes.

*Parisinus 4410* et *Savignianus*, ubi extant, semper fere congruunt cum libro *N*: eisdem utantur compendiis, singulis libris eadem fere praescribuntur et subscribuntur, novellarum porro rubricae, inscriptiones, subscriptiones cum in veris tum in corruptis aut omissis plerumque consentiunt (cf. Theod. 13 rubr. — Valent. 32 rubr. — Marcian. 3 inscr. — 3 subscr.). Eadem valent de constitutionum verbis ipsis, in quibus vix ullus dissensus apparet. Sed ibi tantum alicuius momenti sunt decurtati duo, ubi libro *N* deficienti soli commune archetypum repraesentant, scilicet inde a nov. Theod. 16, 9 usque ad Valent. 27, 52. — Ubi differunt *Parisinus 4410* et *Savignianus*, ille semper fere praefendus est huic saepenumero hianti (ut Theod. 11 rubr. — Valent. 21, 2 inscr., item Valent. 25 inscr., Sev. 1 inscr. *et patricio* om. *Savign.* — Valent. 25 subscr. *prop. . . . uc.* om. *Savign.*, *def. N* — Marcian. 2 subscr. *scripta . . . privatarum* om. *Savign.* — Maiorian. 11 inscr. *com. . . . patricio* om. *Savign.*). Rarissime *Savignianum* praestare Parisino repperi, eis potissimum locis, ubi pristinus *Savigniani* textus altera eiusdem certe aetatis manu emendatur (ut Valent. 18, 7 — 23, 23 — 23, 39 — 27, 9). Quae cum ita sint, considerantibus novellarum Theod. 1 — 2 — Maiorian. 11 textum in *Savigniano* deficientem servari in Parisino dubium esse non potest, quin hic et aetate princeps melior sit illo. Quem cum in apparatu prorsus neglexerim, *Parisini 4410* lectiones, ubi *N* deest, passim recepi.

V.

*H* *Legionensis codex rescriptus*, quem Mommsen (*Theod. I* p. LXX sq.) accuratissime descripsit, a. 1887 Legionē in Hispania repertus ibi in tabulario ecclesiae cathedralis adservatur. Constat hodie ex foliis 185; scriptura prior inter annos 546 et circiter 660 confecta fol. 81—185 Breviarium mutilissimum complectitur. Ex Novellis supersunt Theod. 1 — 2 — 3 — 9 — 11 (deficit 29 *fecissent*) — 16 (incipit 73/74 *sed quasi*) — 20 — 22, 1 (def. 23 *ratiociniis*) — 22, 2 (incipit 31 *etiam curialium*) — Valent. 14 — 18 (def. 22 *quaeratur*) — 32 (incipit 8 *non mediocris*) — 33 — 35 (def. 10 *in civi*, redit 107 *magis deceat*) — Marcian. 1 — 2 — 3 — 4 (def. 18 *lenonis*) — Maiorian. 7 (def. 47 *copulentur*, redit 93 *inferendum*) — 11 — Sev. 1 (def. 6 *alterum*). — Ipsius codicis copia cum mihi non esset, editionem Matritensem adhibens, cuius vitia Mommsen (*l. l.*) exposuit, saepenumero lectiones, de quibus dubitarem, interrogationis signo distinxi. — Codicem ab homine imperito descriptum, quamquam aetate excellit, ad crisin parvi tantum momenti esse in capite septimo explicabitur. Observatione dignum est, quod in margine interpretationum breves hic illic adnotationes adiectae sunt (ut ad cod. Theod. 4, 4, 1 — 4, 9, 1 — 4, 15, 1 cet., ad novellas Valent. 35 — Marcian. 1 — Maiorian. 7), quae haud ita longe post Breviarium Alaricianum confectum in Hispania scriptae vetustissima vel explanationum (cf. Haenel, *Brer.* p. 5 sqq. XXIII sqq.; Conrat, *Quellen* p. 218 sqq.) vel summarum exempla repraesentant.

VI.

*G* *Gothanus fol. n. 84*, olim Mogontiacensis, saec. X (Haenel, nov. const. 22 = Brev. 7; Blume, MG. LL. 4 p. XXXVII; Mommsen, *Theod. I* p. LXXII) ex duobus archetypis descriptus est. Alterius apographum f. 224—335 Breviarium complectitur; Novellae continentur f. 285<sup>v</sup>—307<sup>r</sup>. Novellae Valent. 35 interpretationi f. 303<sup>r</sup> adnexae sunt particulae novellarum Marcian. 1 et 4 ita coniunctae, ut post Marcian. 1, 57 *et necessariis* . . . 69 *punitur* sequantur 1, 1 *edictum* . . . 3 *venalem*, 1, 35 *neglexisse* . . . 40 *adversarios*, deinde Marcian. 4, 19 *retitis* . . . 31 *sordentibus*, 4, 51 *harum* . . . 61 *pervenire*; tum post Marcian. 4 subscriptionem et rubricam *Explicit novellarum divi Valentini augusti. Incipit novellarum divi Marciani augusti liber* leguntur nov. Marcian. 1 titulus et praescripto *Intep* (pro *Imp*) inscriptio, textus principium (usque ad 2 *gestienti*), subscriptio, interpretatio, deinde novellae Marcian. 2 integra, 3 et 4 omissio textu. Reliquarum novellarum neque ordo perturbatus est neque verba desunt.

Librarius ipse saepenumero aut scripturae menda leviora in textu emendavit (*G<sup>b</sup>*) aut varias lectiones vel coniecturas in margine adscripsit (*G<sup>v</sup>*). Nihilominus textus ditto-graphiis et amplioribus et minoribus abundat. A quibus distinguendae sunt lectiones, quae, ut in codicibus *EKL*, duplicem recensionem repraesentant; eas ex archetypo ipso proficisci Mommsen (*l. l.*) optimo iure collegit. Textus eiusmodi duplices lectiones raro exhibet, e. c. Theod. 1, 45 — Valent. 27, 56. Plerumque alteri lectioni in textum receptae (*G<sup>r</sup>*) altera addito vocabulo (*ve*) in margine adscribitur (*G<sup>v</sup>*). Haec semper fere verum non cum plerisque libris habet; ubi dissentit ab eis, corrupta est (ut Valent. 35, 183). Contra *G<sup>r</sup>* plerumque lectiones proponit sibi proprias neque ullius fidei (ut Valent. 19, 2 — 32 *suber*. — 35, 124 — Maiorian. 11, 11); quae communes ei sunt cum aliis libris, archetypum, a quo *G<sup>r</sup>* in Novellis pendere solet, proxime accedere ostendunt ad libros *S* et *PM* ut Valent. 35, 165 — 35, 183 — Maiorian. 7, 140 — 11, 18). Quocum optime convenit — si quod in capite septimo demonstrabitur — librum *G* una cum (*XC*)*PMS* inter detentis similibus codicibus esse referendum. — Praeter lectiones modo tractatas aliae passim in margine reperiuntur nota praemissa *id (est)* distinctae, quae ex archetypone descriptae sunt in librario nostro tribuendae in dubio relinquamus (tales e. c. sunt Theod. 1, 26 *suber*; *G<sup>v</sup>* cum plerisque, *stantia G<sup>r</sup>* — 15, 1, 17/18 *semiplena*] *simi. poena G<sup>r</sup>*, *semel poena G<sup>v</sup>* — *suber*. 31, 30 *ruptari*] *G<sup>v</sup>* cum plerisque, *patriati G<sup>r</sup>*, al.). — Gothanum Berolinum missum a. 1888 — *S* nostro, quem Sichardus adhibuit, descripta sunt codicis Basileensis

C III 1 folia A—J (vide infra); fol. A habetur novella Theod. 1, cuius verba ex libri nostri folio 285<sup>v</sup> deprompta et ante Theodosianum collocata Cochlaeus hic illic emendans vel corrumpens descripsit.

## VII.

*Eporediensis bibliothecae capituli codex n. 36* (Mommsen, Theod. I p. LXXIV) saec. IX/X **X** paginis bipertitis exaratus est. Foliorum magna pars periit; exciderunt enim septem priores quaterniones et posteriores duo, praeterea quat. VIII f. 5, XIV f. 8, XVI f. 1. 2. 6, XVIII f. 1, XXIII f. 1—3, XXVI f. 2, XXXI f. 6, ita ut ex 181 tantum foliis codex hodie constet; continet Breviarium mutilum. Novellae foliis 92—141 insunt; singulis libris praemittitur index titulorum. Theodosianae quat. XVIII folio 1 exciso incipiunt nov. 1, 2 *propositis*. Valentinianae sequuntur f. 108<sup>v</sup>—190 praemisso indice, cui praescribitur *T legi divi valentini a.*, subscribitur *Finium tituli divi valentini A.* Quaternionis XXIII foliis 1—3 excisis desunt Valent. 35, 205 *finalis actio* usque ad Marcian. 1, 80 *simili etiam*; reliqua adsunt f. 131—141. — Liber, quem Eporediae aestate a. 1901 contuli, scriptus est a librario imperito, qui archetypi vitia ad verbum et litteram expressit.

*Basileensis bibliothecae publicae codex C III 1* (Haenel, nov. const. 23 = Brev. 8; **C** Mommsen, Theod. I p. LXXIII sq. XCV sq.) diversorum codicum apographa sive plena sive ex parte continet saec. XVI inennte Amerbachii iussu confecta, scilicet <sup>1)</sup> fol. A—J Gothani (nobis *G*) apographum usque ad Theod. 2, 14, 1, praemissa nov. Theod. 1, <sup>2)</sup> fol.  $\alpha$ — $\epsilon$  codicis cuiusdam epitomen Aegidianam complectentis usque ad Theod. 2, 24, 1, <sup>3)</sup> fol.  $\epsilon$ — $\theta$ ,  $\pi$ — $\nu$  Bernensis 268 usque ad Theod. 2, 24, 1 (vide p. XXXV), <sup>4)</sup> f. 1—189 Murbacensis libri hodie deperditi apographum incipiens Theod. 2, 25, 1, 15, finiens Paul. 5, 20, 1, <sup>5)</sup> f. 189. 190 Bernensis 268 inde a Paul. 5, 20, 1 ad finem.

Ad Novellas non pertinent nisi apographa duo sub <sup>1)</sup> (ex *G*) et <sup>4)</sup> (ex Murbacensi) laudata. Novella Theod. 1 in utroque habetur; priorem recensionem fol. A ex Gothano descriptam supra breviter attigi, quam in apparatu neglectam in usum meum contulit amicus Fridericus Muenzer; altera huius novellae recensio, scilicet Murbacensis, in principio novellarum Theodosii invenitur. Novellae in hoc Murbacensis apographo (nobis *C*) continentur f. 84<sup>r</sup>—127<sup>r</sup>; singulis libris index titulorum praemittitur; praescribitur *Novell. Lib.* (sequitur *Tituli Legum Novellarum Divi Theodosii*), subscribitur *Novellarum Legum Finis*. Numeri constitutionum omittuntur. Textus vitia ab archetypo Murbacensi et a gemello eius **X** proposita Amerbachii amanuensis inter scribendum emendavit (ut Marcian. 2, 23/24); at passim corruptas archetypi lectiones interpolavit (ut Valent. 14 rubr. — 25, 13 — 32, 64/65); quin etiam, ubi nihil corruptum erat, verae lectioni aliam substituit (ut Valent. 21, 2, 9 — Maiorian. 7, 1); proprio denique arbitrio saepissime verborum ordinem mutavit (ut Theod. 3, 50 — Valent. 21, 1, 31 — 25, 4/5 — 31, 42 — 33, 10). Quae legere non potuit, spatio vacuo, ut in Theodosiano, relicto omisit (ut Theod. 22, 2, 73 — Valent. 25, 25 — Maiorian. 7, 34). Eiusmodi hiatus Amerbachius hic illic sua manu explevit (*C*<sup>1)</sup>, sive ex archetypo (ut Theod. 16, 36/37 — 16, 44 — 16, 63 — 16, 107) sive coniectura (ut Theod. 9, 6); item nonnullis locis lectiones ex Murbacensi descriptas et cum **X** concordantes ex Bernensi 268 (scil. 'Argentinensi') vel coniectura emendavit (ut Theod. 16, 75/76 — 16, 105) aut corrupit (ut Theod. 16, 27 — 16, 42/43). — Basileensem Berolinum a. 1900 missum excepta priore novellae Theod. 1 recensione ipse contuli.

Ex supra dictis Basileense apographum correctum saepenumero discedere ab archetypo Murbacensi apparet. Qui quamquam inferior erat Eporediensi **X**, tamen non desunt menda huic soli propria, ut hiatus (Theod. 1, 46/47 — 16, 25 — 22, 1, 36 — Maiorian. 7, 74/75 — 11, 19/20) vel corruptelae (Theod. 1, 44 — 8, 20/21 — Valent. 23, 23). Sed in universum libri duo **XC** et in maioribus et in minoribus consonant; lectiones singulares permultas utrique communes, quas in apparatu reperies, afferre supervacuum est. Communem autem originem evidenter evincunt insiticia duo Novellarum textui inserta. Alterum novellae Valent. 19 interpretationi subiunctum (*X* f. 111, *C* f. 102) legis R. Burgundionum titulum 2 'de homicidiis' ad Francorum usum mutatum continet. Subieci textum eius, quem ad libros nostros et Sichardianam (f. 96<sup>r</sup>) collatum ex lege R. Burg. sanare studui:

*Interp. de homicidio voluntario.*

*De interempti pretio principis est expectanda sententia. Quia de pretio occisorum nihil evidenter lex Romana constituit, dominus noster (Theudericus rex Francorum) statuit observari, ut si ingenuus ab ingenuo fuerit interemptus et homicida ad ecclesiam confugerit, is ipse qui homicidium admisit cum medietate bonorum suorum occisi heredibus serviturus ad-* 5 *dicatur, reliqua medietas facultatis eius heredibus relinquatur. Qui vero armatus se in ecclesia tueri temptaverit, qualiter lex Theodosiani libro nono [ad Antiochum data iubet], cum conscientia [episcopi] abstrahatur. Si servus cuiuscumque occisus fuerit ab ingenuo et ipse homicida ad ecclesiam convolaverit, secundum servi qualitatem . . . . . cogatur exsolvere, hoc est pro actore centum, pro aurifce electo centum, pro ministeriali sexaginta, pro fabro ferrario 10 pro quinquaginta, pro carpentario quadraginta, pro aratore triginta, pro porcario (aut birbicario aut aliis servis) triginta solidi inferantur. Homicidam tam ingenuum quam servum, si extra ecclesiam invenitur, damnari, (si voluntarie factum fuerit). Si vero ad ecclesiam servus homicidii reus forte confugerit, indulta vita pro eo quem occidit ipse deserviat.*

1 uoluptarię X 2 p̄tii X 3 theodericus C  
4/5 his ipse X, ille *Sichard.*, vacuo spatio relicto  
om. C 6 medietatis X eius] eius homicidae  
*Burg. plerisque derelinquatur Burg.* 7 theod-  
osiani] scripsimus cum *Burg.*, theodosii in XC  
*Sichard.* nono] sic X, ix *Sichard.*, octavo C  
7/8 [ad antiochum data iubet] cum conscientia  
[episcopi] abstrahatur] *supplevimus ex Burg.*,  
ubi 2, 3 habetur: quia lex theodosiani libro nono  
ad antiochum data . . . . . permittit, 2, 4: secundum  
legem ipsam cum conscientia episcopi abstrahatur;  
*libri XC et Sichard. post vacuum spatium relicto non servant nisi cum conscientia abstrahatur* 8 cuiuscumque] scripsi-

*mus cum Burg. plerisque, cuiusque XC<sup>b</sup> Sichard., cuiusque qui C<sup>a</sup> 9 conuolauerit] conuolauerit X qualitatem . . . . . cogatur] qualitate ei rescripte cogatur X, qualitate eius res scriptis cogatur C; locus in libris XC corruptus ex *Burg. sanandus:* qualitatem infra scripta dñō eius pretia cogatur — 10 ministerialem X 12 solidi inferantur] sol inferantur *Burg.*, solidos inferatur XC *Sichard.* ingenuum] in ingenuum C<sup>a</sup> 13 inueniatur *Burg.* damnari] scrib. morte damnari cum *Burg. plerisque uoluptarię X ante factum supplendum homicidium 14 ipse deserviat] sic Burg., ipse etc. Sichard., ipse XC**

Ut libro *H* propria est constitutio Theudis regis Visigothorum 'de litium expensis' post Theodosiani legem 4, 18, 2 [= Brev. 4, 16, 2] a. 546 adiecta (cf. Mommsen, *Theod. I* p. LXXI), ita nostri XC novellae Valent. 19 alterius interpretationis loco subiunctam habent Theudericus regis Francorum legem. Quam depromptam ex lege R. Burgundionum, inverso quidem paragraphorum ordine, additis paucis (quae ( ) uncis saepsi), receptam esse in ius Francorum manifestum est. Theudericus autem rex fueritne huius nominis tertius, qui a. 673—691 regnavit, an quartus, qui a. 720 Dagoberto tertio successit, diiudicari non potest. Sed hoc certum est, cum lex Theudiana regis ipsius iussu Breviario in Hispania viginti insereretur, constitutionem nostram ab eo, qui librorum X et Murbacensis archetypum Theudericus regis aetate in Gallia scripsit, propria sponte novellae laudatae additam esse. Similiter in codice hodie deperdito, olim Pithoeano, Edicto Theudericus Italiae regis a librario adnexae erant eiusdem legis Theudericus Francorum regis paragraphi duo (cf. *MG. LL. 5* p. 168; *LL. Nat. Germ. II, 1* [1892] p. 21). — Ad hanc constitutionem pertinent quae P. Pithoeus filius indici Sichardianae exemplaris *Paris. Réserve F 380* adscripsit: *Qui in hunc codicem* <sup>1)</sup> *f (= f. deletum) παράτυλα scripsit si modo idem est qui et in Novellas scripsit Francus fuit. Nam et Theodericum francorum regem dñum suum appellat et franci(cis) verbis saepe utitur ut servo birbicario 96 pro pastore ovium quas Franci brebis appellant et menandi verbo: In sentent(iis) Pauli lib. 1 Tit. de servitutib(us) (= Brev. Paul. 1, 17, 1 interpr., ubi ad Sichardianae vocabulum 'movere' a Pithoeo f. 132<sup>v</sup> adscribitur vet. minare, ut Girardus mecum communicavit). Regnavit autem Theodericus anno Chryst. 667 (?). Optimo igitur iure Pithoeus insititium Sichardianae fol. 96<sup>r</sup> ex libro C sub interpretationis titulo insertum francicae originis esse collegit ex verbi 'birbicario' usu. Eius-*

<sup>1)</sup> Verba in summo margine a Pithoeo scripta: *Hunc codicem Accurs. citat in l. 5 C. de delatoribus* spectant ad Accursii glossam ad cod. Iust. 10, 11 de delatoribus l. 5 allatam, ubi post alia leguntur 'nam ut dicunt contineri in Theodosiano codice' est. Intellegit autem Accursius Azonis magistri lecturam, qui ad eiusdem legis vocem 'ferro' notavit: 'ferro enim caput et lingua abscondenda, ut in Theodosiano tit. eo habetur' (= Theod. 10, 10, 2. 3 [Brev. 10, 5, 1. 2] tit. 'de petitionibus et ultro datis et delatoribus').

dem nationis fuisse putavit 'veteris' librarium, qui in Pauli sententiarum interpretatione citata 'minandi' vocabulo pro 'movendi' uteretur. Sed iniuria 'codicis' Theodosiani, 'Novellarum', alias interpretationes Alaricianas, quas Sichardum (in praef. α 3<sup>v</sup>) secutus nomine *παράτυλα* significat, scriptas (scil. additas) esse ab homine Franco arbitratus est.

Alterum insititium libris *XC* commune, quod in fine textus nov. Maioriani 11 nullo intervallo interposito reperitur (*X* f. 140, *C* f. 126), in apparatu novellae laudatae (p. 178) ad v. 20 dedi (*illud quoque . . . capitali supplicio subiacebit*).

### VIII.

*Phalippesianus Berolinensis 1761* saec. VI (Rose n. 159; Haenel, nov. const. 12 = Brev. 2; Mommsen, Theod. I p. LXXV; Traube, Enarratio Tabularum ad Theod. I p. III sq.), olim 'e (ecclesiae) Lugd(unensis)', deinde Claromontanus 614, tum Meermanni 599. Novellae continentur f. 162<sup>v</sup>—225<sup>v</sup>; duobus inter f. 189 et 190 foliis excisis desunt nov. Valent. 23, 12 *occasus* usque ad 25, 18/19 *adhibemus*. — Librum contuli a. 1900.

*Monacensis lat. 22501* (= D 2; Haenel, nov. const. 11 = Brev. 1; Mommsen, Theod. I p. LXXV) 'proficiscitur e Gallia, ubi saeculo sexto descriptus ex eodem est cum *P* archetypo; commorabatur ibi ad saeculum usque octavum; saeculo nono medio iam Herbipolim venerat; inde a. 1806 transmigravit Monachium' (Traube *l. l.*). Novellae continentur f. 167<sup>r</sup>—242<sup>v</sup>. — Librum Berolinum missum contuli a. 1900.

Ut in Theodosiano, ita in Novellis libri *PM* mirum in modum concordant. Singulorum imperatorum libris eadem fere praescribuntur et subscribuntur. Novellis ipsis praescribitur: *Incip novellarum Lib.* (lib. om. *P*), subscribitur: *expl (exp M) lib. legum novell.* — Quamquam aetate primi, lectionibus quas exhibent ultimum fere inter Breviarii codices integros locum obtinent; nam, ut in capite septimo videbis, etiam ceteris deterioris familiae codicibus *GXC* saepe numero cedunt, quibuscum subscriptiones passim praebent pleniores, numquam eis praestant aut soli aut cum melioribus libris. Propter palaeographica igitur, quae Traube (*l. l.*) tractavit, et orthographiam atque compendia sola, de quibus Mommsen in voluminis primi capite nono egit, aliquantum valent. — Ubi dissentiunt, in minoribus, potissimum in orthographicis, *P* a librario peritior scriptus praefendus est, in maioribus modo hic modo ille, ut in Theodosiano, alterum superat; sic *P*: Theod. 2 inscr. — Valent. 1, 3, 13/14 — 1, 3, 52 — 25, 42 (subscr.) — 32, 63, *M*: Theod. 1, 38 — Marcian. 1, 28 — 4, 48 — Maiorian. 7, 89.

Liber *M* secundae manus emendationes vix exhibet (*M*<sup>2</sup>). Contra *P* emendationes diversis temporibus subiit. Librarius ipse textum hic illic correxit (*P*<sup>b</sup>). Manus multo recentior litteras evanidas factas vel vocabula membranis laceratis desperdita restituit, interpunctiones addidit, pristinis lectionibus alias substituit (*P*<sup>2</sup>): ita Theod. 1, 45 (f. 164<sup>r</sup>) verbis in textu compendiat *pkaa inl et mag at* a *P*<sup>2</sup> in margine adscribuntur perscripta *parens karissime augustorum (sic) industris et magnifica auctoritas tua*; Theod. 3, 70 (f. 166<sup>v</sup>), ubi librarius scripsit *quidquid igitur amor*, *P*<sup>2</sup> inter versus correxit *quicquid igitur non invenit amor* (ut secundum Haenelium in codice Lugdunensi 303 habetur), in margine eadem manu adscriptum est *quemq; igitur non ligat amor*; Maiorian. 7, 3 *rediget* a *P*<sup>2</sup> emendatur in *sed id egit*. Longe pleraeque emendationes ad saeculi XVII manum (*P*<sup>2</sup>) pertinent, quo tempore librum tunc Lugdunensem a Sirmondo atque Gothofredo adhibitum esse constat (cf. Mommsen, Theod. I p. LXXV. CXVII). Depromptae autem sunt fere omnes ex Sichardii vel Cuiacii editionibus; otiosum igitur erat in apparatu omnes afferre. Paucae tantum reperiuntur, quae ab harum editionum lectionibus discedunt: commemoratione digni sunt consensus cum libro *O* (Marcian. 1, 6 — 4, 26), ex quo excerpta praesto fuisse Gothofredo novimus (Mommsen *l. l.* p. LXVI), et cum *Lugdunensi 303* (Theod. 9, 10 — Maiorian. 7, 34 secundum Haenelium), cuius codicis lectiones hic illic (etiam a *P*<sup>2</sup>) adscriptas esse in nostro mirari non possumus. — Adnotationum in margine libri nostri litteris curavis additarum exemplum ex f. 206<sup>v</sup> sumptum, quod ad nov. Valent. 35, 131 sq. spectat, Traube *l. l.* tabula VI, 5 proposuit.

*Vaticanus Ottobonianus 2225* (Haenel, nov. const. 20 = Brev. 15; Mommsen, Theod. I p. LXXXI) saec. IX scriptus haec bibliothecarum signa prae se fert (vide supra p. XXVI not.):

*Emendationes  
libri P*

*Ottobon. 2225*

V (?) 36 — 'numero 114 no(n) P(etaviano) 1656' = 'Volumen CXIV non Petavianum' — 378 = 'Ex Bibliotheca Serenissimae Reginae Num. 378 Codex scriptus a(nno) a nativitate Christi dñi 906 (?)' (litterae, quibus puncta suppositi, virgulis expunctae sunt) — 'cod. 7 Otthob' — 'S. X. 11' (cf. Montfaucon. l. l. I p. 189) — 'Cod. Othobon. 2225 (corr. ex 3025)'. Codex olim continebat quaterniones XXVII adiunctis duobus foliis. Sed interierunt quaternio I integer, quaternionum VIII. XVIII. XVIII. XX bina folia; quaternionibus XII et XIII excisis, quibus habebatur Theodosianus 9, 10, 4 usque ad 10, 18, substituta sunt quatuor folia (hodie f. 79—82) ex codice epitomato deprompta, quibus inest Theodosianus 9, 37, 4 usque ad 10, 18. Hodie igitur constat ex foliis 190 (f. 62/63 signantur 61<sup>b</sup>/61<sup>c</sup>, f. 86 et 190 falso numerantur 83 et 187). — Novellae incipiunt f. 96<sup>r</sup> (quat. XV f. 6), finiunt f. 140<sup>v</sup> (quat. XXI f. 8<sup>v</sup>). Librum, quem et in compendiis et in lectionibus plane consentire cognovissem cum *PM*, conferre supervacuum visum est.

## IX.

*S Parisinus 4405* scriptus saec. IX exeunte in Gallia (Haenel, nov. const. 15 = Brev. 5; Mommsen, Theod. I p. LXXVI sq.), aliquando 'eccl(es)ie beatissimi hilarii maior(is) pictaven(sis) [hodie Poitiers] n. 575', deinde Regius 4890, constat ex foliis 241. Ex aliis codicibus sumpta sunt, quae duplicem titulum Breviarii indicem exhibent, folia 1—16 (*S[lat. a]*) et 25—33 (*S[lat. γ]*). Novellae continentur f. 137<sup>r</sup>—181<sup>r</sup>; Theodosianis praescribitur *Incipit novellarum liber primus*, Novellis subscribitur *Explicit liber legum novellarum*. Codex satis accurate ex archetypo descriptus secundae manus emendationes non subiit; antiqua autem compendia raro retinentur: temere et imperite solutorum exempla in apparatu notantur (ut Theod. 1, 45 — 2 inscr. — 15, 1, 8 — 20 inscr. — 22, 2 subscr. — Valent. 1, 3, 33 — 1, 3, 63/64 cet.). — Varias ex libro nostro lectiones adscriptae sunt ab Ranconeto in exemplari editionis Sichardianae iam bibliothecae Parisinae Réserve F 381, et a P. Pithoeo filio in eiusdem editionis exemplari iam Parisino Réserve F 330, ut in capite sexto de Sichardianae exemplaribus disserentes videbimus. Librum contuli Parisiis a. 1901.

*Parisiis 16001.* Apographum codicis *S* saec. XVI confectum repraesentant duo volumina *Parisiis 16002* 16001. 16002 (Haenel, nov. const. 21 = Brev. 9; Mommsen, Theod. I p. LXXVII), antea Blaise 2871, deinde Sorbonne 336. 335, tum Paris. Suppl. Lat. 399. 398. Constant ex foliis 196 et 130; Novellae continentur 16002 f. 2—56.

## X.

*Vatic. reg. 1128* *Vaticanus reginae 1128* (Haenel, nov. const. 19 = Brev. 6; Mommsen, Theod. I p. LXXX) saec. X in Gallia scriptus, fortasse aliquando Ranconeti (Mommsen *l. l.* p. LXXVII not. 1), deinde Alexandri Petavii, cuius nomen folio 1<sup>r</sup> inscribitur (vide supra p. XXVI not. 1), ex foliis 271 constat; pagina bipertita est. Breviarium continetur f. 1—190<sup>v</sup>; Novellae (praemisso indice f. 101/102) insunt f. 103<sup>r</sup>—141<sup>v</sup>; Theodosianis praescribitur *Incipit novellarum liber primus*, Novellis subscribitur *expi legum novellarum*. In compendiis vel corruptis cum *PM* plerumque concordat; ad lectiones quod attinet, a communi deterioris familiae archetypo pendet: ita ad libros *GPMS*, ubi soli vel una cum *XC* contra meliores Breviarii codices corruptam lectionem praebent, semper accedit; ubi libri illi dissentiunt, proxime abest a codicibus *S* vel *G*. — Librum, quem totum Romae a. 1901 contuli, et in apparatu et in Novellarum crisi prorsus neglexi.